





Index Disputationum qua in hoc volumine gincant.

- I. De Anulo pronubo. P. Müller.
II. De modo ac usu operacionis graduum. pag. 85. prior. diff.
III. De juramentis illicitis. I. C. Falchner. R. J. C. Naevius.
IV. De pecunia Lectorica. I. Radovig. R. I. Lembie.
V. de privilegiis studiosorum. Tract. I. V. Beckmann.
VI. de partibus adjectis. Id.
VII. de jure famulorum hodierno. (I. V. Beckmann. R. I. Alberti.
qt: veteri seruorum iuri converit
aut ab eo discrepat.)
VIII. de foeminarum eruditione. P. I. Thomafij. R. I. Saubrey.
IX. de foeminarum eruditione. diff. Z. I. Saubrey.
X. de privilegiis mulierum. P. I. V. Beckmann.
XI. de defensione legitima. I. Plitz.
XII. de superioritate territoriali. vulgo Landeshoff obviabit
R. I. Librand. R. C. Gelehringhauser.
XIII. de jurisdictione territoriali statuum Imperii sublimi.
P. I. G. Simon. R. I. H. Döhausen.
XIV. de potestate legislatoris in jure naturae. P. I. F. Krieger.
R. C. Schärf Schmidt.
XV. de jure febfoadi. P. W. Leyfer. R. E. W. Vogelij.
XVI. de donationibus propter nuptias. W. et. Lauterbach.
R. B. Goldili
XVII. de infantibus fapposititiis. vulgo Knuffelbälgen.
P. M. P. V. Herbitzij. R. I. D. Jahn.
XVIII. de innotulatione aetorum. P. M. Wedderkopf. R.
R. H. Kruse.
XIX. fondales aliquot assertiones miscellaneae. P. H.
Hahn. R. P. Ganckher.
XX. de jure viarum. P. I. V. Beckmann. R. I. C. Koch.
XXI. de Hospitatura no. Dampfbauern und Fröbergmänn. P.
I. F. Reetig. R. G. F. Bleßendorff.
XXII. de jura mento per horrof contriae. P. C. Eckheffer.
XXIII. de arbitrio compromissarij. P. B. L. Schwendendorff.
R. I. G. Börner.

- XXIV. de privilegiis moratoris non existentibus. R. P. F.
Romberg. R. J. Pohlmann.
- XXV. de fictionibz. I. Siebrane. R. J. F. Haufwede.
- XXVI. de denunciatione sagarum. P. Eckhardtig. R. J. Daurez.
- XXVII. de supremis curiis seu de parlamentis Galliae
et Angliae. J. A. Gerhard.
- XXVIII. de jure ac potestate parlamenti Britannici dictu,
sue posteriori. R. J. Daurez.
- XXIX. de jure sibi dicendo. P. M. Finger. R. J. Leising.
- XXX. de jure collegiorum opificium. P. J. Strauch. R. H.
voz Strombeck.
- XXXI. de aere alieno in societate conjugali contractu
solvendo. no. Leising dico in conformitate
genuis est. W. A. Lauterbach. R. J. G.
Neukauer.
- XXXII. de dotatione filiac Principis, inspecie de
collectis maritagiis. no. Frantz. R. J. G.
Fritschig.
- XXXIII. de origine, progressu, usu ac autoritate juris
canonici in fatis protestantium in genere.
P. H. Ryben. R. H. Bobers.
- XXXIV. de iudicio sortis. C. P. Richter. R. B. Schmidt.
- XXXV. de accusatione contumaciae. P. B. Schwendendorff. R. C. Soffath.
- XXXVI. iura obstetricum. P. J. G. Simon. R. J. H. Loths.
- XXXVII. propositionum necessiarium gradus et exempla. G. Schrader. R. C. Schrader.
- XXXVIII. Tabacologia sive de Tabacco. P. J. of. Friderici. R. J. Hahn.
- XXXIX. de duoleorum varii generis moralitate. J. Thomas. R. C. Heiland.
- XL. de spectaculis. C. Formann. R. V. Froesthalig.
- XL. de recto nominum in philosophia usu. M. H. Wideburg.
R. J. G. Gottsmann.



J. P.

DISSERTATIO JURIDICA

De

PRIVILEGIIS
MORATORIIS,Vulgo
Eisernen Briefen/

Quam

Indultu Amplissimæ Facultatis Juridicæ Lipsiens.

P R A E S I D E

Viro Maxime Reverendo, Nobilissimo, Amplissimo,
Consultissimo atq; Excellentissimo**DN. PAULO FRANCISCO
ROMANO, J. U. D.**Pandectarum P. P. Facultatis Juridicæ Assessore meri-
tissimo & Canonicu Naumburgensi gravissimo.Dn. Patrono, atq; Praeceptore suo nullo non observan-
tiæ atq; honoris cultu devenerando,

Ad diem XXXI. Octobr. A. R. G. M DC LXXII.

H . L . Q . C .

Publico Eruditorum Examini submittet

JOACHIMUS Pohlmann/ Magd. Saxo.

LIPSIAE

Literis JOHANNIS GEORGII.





J. P.

Proœmium.

Rave tormentum esse DEBERE jam
suo tempore dixit Seneca l. 2. d. benef. c. 8. referente
Carpz. in Asyl. n. 72. Qvam severe enim semper cum
debitorib⁹ actū fuerit, nemo est, qvi nesciat. Nam
ut rigorem *LL. XII. tab.* (qvem refert Oldend. cl. 1. act.
for. in def. Rei. 2. p. m. 146.) in præsentiarum taceam,
vel hoc nostrum ævum abunde testatur durissi-
mam esse conditionem eorum, qvi in ære alieno vivunt. Et fo-
rum nostrum Saxonum testor, utpote, in qvo cautum, ut Debitor,
non solvendo existens, ad manus Creditoris tradatur, qvi eum
in compedibus vel vinculis inclusum teneat, ejusc⁹ servitiis tam diu
utatur, donec operis suis vel alia ratione integrum debitum dissol-
vat *text in art. 39. lib. 3. Land R. Carpz. p. 2. c. 22. d. 1. n. 9. & late Coler. Proc. Ex. p. 1. c. 3. n. 160.* Cum verò innumeris periculis vita fortunaq⁹ no-
stra indies exposita sit, adeo, ut secundum tritum illud Irus sit subi-
to qvi modo Cræsus erat, unum alterumve respiramentum quasi
debitoribus tot miseriis afflictis, tot calamitatibus suppressis, æqui-
tatis intuitu jura concessere, qvibus saluti suæ consulerent. Ex iis
autem non infimum sibi locum vendicat PRIVILEGIUM MO-
RATORIUM. Specimen igitur Academicum, perclitarum in-
genii virium causa editurus, non abs re me facturum existimavi, si
illud thematis loco mihi proponerem, paucisq⁹ pro ingenii tenui-
tate delinearem. Cum autem bene universa gerantur & compe-
tentur, si Rei principium fiat decens & amabile Deo *Nov. 7. pr.* ideo
ad divinum provoco auxilium & SS. imploro Trinitatem, velit &
huic negotio ex alto benedicere, qvo vergat in Supremi Numinis
gloriam & proprium emolumentum.

A 2

SECT.I,



SECT. I.
De
PRIVILEGII MORATORII DEFI-
NITIONE NOMINALI.

§. I.

NE à consueta hætenuis methodo recedere videar, constitui, priusquam ad propositæ materiæ tractationem perveniam, verborum patriam atq; naturam paucis perlustrare. Commodo autem illud tribus capitibus absolvi posse existimo. Etymologia sc. homonymia & Synonymia, de singulis sigillatim.

§. 2. Cum vero rubrum nostrum duo contineat membra, de utroq; pauca erunt dicenda: PRIVILEGIUM à PRIVAN-DO dictum putant, quasi Privans legem. i. e. aliquid diversum, à jure com. statuens & inducens *Coler. Pr. ex p. 1. c. 4. n. 3.*

§. 3. MORATORIUM vero dicitur à Mora seu Morando, quasi dicas illud in solvendo moram facere, seu quia moratur & retardat exactionem *Carpz. Asyl. Deb. c. 4. pos. 61. n. 22.* Qvod pro instituti nostri ratione de Etymologia annotasse sufficiat. Plura qui de eâ desiderat Lexicographos consulere poterit, qui pro re na- ta uberiora subministrabunt.

§. 4. Homonymia præprimis in privilegii voc. occurrit (verbum enim Moratorium eam vix agnoscit) sumitur autem illud in jure nostro vel LATE, vel STRICTE. In Lata significatione Privileg. denotant quascunque constitutiones speciales contra vel præter jus Com. aliquid ex singulari causa disponentes *s. 6. Inst. d. J. N.G. & C.L. 1. s. 2. ff. d. Const. Princip.* In Stricta autem significatio ne significat constitutionem in alicujus saltem favorem latam *l. f. C. de Prof. & Med. l. 7. C. d. Test. mil.* Quandoque etiam Metonymicam significationem habet, quatenus sc. instrumentum, in quo Privilegii tenor comprehenditur, denotat *l. 17. pr. C. d. SS. Eccles.* stricta autem significatio hujus loci est.

§. 5. Seqvitur Synonymia, cum vero ea varia sit, freqven- tiora tantum Privil. Mor. nomina in medium proferre constitui. Dicitur autem I. Dilatio *Qvinquennalis Germ. Qquinquenni.* nempe qvod ad qvinq; annos plerumq; concedatur *Wehn. Obs. Pr. verb.*



verb. Anstalts Brief p. m. 24. Coler. d. Pr. Execut. d. c. 4. n. 14. II. Pra-
scriptio seu Exceptio Mercatoria seu Moratoria, qvia scil. creber-
rime suppetias fert Mercatoribus, qui ex infortunio aliquo lapsi
omnem perdiderunt fidem. Schneidvv. Inst. de J. N.G. & C. §. 1. num. 11.
Dn. Philip. ad Decis. Nov. 31. O. 1. n. 60. III. Literæ Securitatis. Nam
qvemadm. qui securitatem habet, nullo modo est inquietandus &
molestandus. Ita & hujusm. literæ ad tempus securum præstant,
debitorem ab inquietudinibus creditorum Bech. tr. de securit. & sal-
vo Cond. c. 1. num. 19. & ex eo Anton. de Resc. Morat. Conclus. 4. num. 8.
IV. Literæ induciales s. absolutè Inducia, qvod qvemadm. in
bello datis induciis à bellicis actibus abstinentur est Grot. d. J. B.
& P. l. 3. c. 21. n. 1. Ita & datis induciis his Creditores ab exactio-
ne debiti ad tempus abstineant. Thesaur. Decis. 168. n. 1. V. Lite-
ræ dilatoria, qvod solutionem debiti ad tempus differant. l. 2. C. de
Precib. Imp. offer. ibi qd Dn. Brunneman. VI. Literæ Status, forte qvia
in iis de miserando & infelici debitorum statu disponitur. Qvam-
qvam perraro à Dd. hæc dictio adhibetur teste Ant. Fabr. in C. lib. 1.
t. 9. d. 23. & 24. VII. Literæ Respirationis (Gall. Lettres de resprit)
scil. qvod respirare faciant Debitoris substantiam Limn. de Jur.
Publ. l. 4. c. 8. n. 322. Anton. d. Concl. 4. per tot. Ubi plura farinx hu-
jus nomina recensent, qvo B. L. brevitatis gratia remittimus.

§. 6. Anteqvam ad def. Realem progrediar, operæ pretium
erit originem & æqvitatem seu Justitiam Priv. Morat. præmittere.
Origo vero vix altius repetenda videtur, qvam ex Constit. Gratia-
ni Valentis & Theodosii Impp. in l. 4. C. de Precib. Imp. Off. & Justi-
niani in l. ult. C. qui bon. ced. poss. Dn. Philip. Obs. 1. n. 2. ad Decis. Nov.
Elect. 30. Carpz. p. 2. c. 22. d. 29. n. 2.

§. 7. Constitutionibus autem horum Imp. nihil nisi ipsa
æqvitas occasionem præbuit, qvippe eas ipsa divini juris ratio ap-
probavit, ut Exod. 22, v. 25. Deut. 24, v. 10. Sirach. 29, v. 11. Neq; enim
hoc Priv. M. aufert Creditori Jus suum, sed differt tantum, uti patet
ex d. l. 2. C. d. Prec. imperat. offerend. At vero in mora modici temporis
magnum damnum non vertitur l. 21. ff. d. Judic. Coler. d. Pr. Ex d. c. 4.
n. 14. Quid qvod hoc nostro Priv. non tantum Debitori, sed &
ipsis Creditoribus prospicitur, utpote qui per cautionem securio-
res redduntur, & debitum propterea melius exigere possunt Herm.
Hermes Fas. J. P. c. 11. n. 187, Carpz. Asyl. Deb. c. 4. pos. 61. n. 28.

A 3

§. 8.



§. 8. Exinde nunc porro facilis negotio colligere est, hujusmodi Inducias, sicuti & bonorum cessionem, per se non solum non odiosa sed summe favorabilia media, & pro talibus tam in iudicando, quam in Respondendo habenda adeoque eveniente casu (ceteris tamen paribus) modis omnibus interpretatione adjuvanda esse. *Fab. in C.l. 7. t. 31. d. 33. num. 3. in alleg. Anton. d. tr. concl. 8. per tot.*

SECT. II.

De

DEFINITIONE REALI ET DIVISIONE.

§. 1. PRIV. MORATORII voce ac origine explicata & reliqua definitione Nominali, ad Realem nos convertimus. Describimus autem PRIVILEGIUM MORATORIUM; quod sit beneficium, Debitori petenti casu fortuito damnum passo indultum, ad eum finem, ne intra tempus in privilegio præfixum à suis creditoribus molestetur *arg. d.l. 2. C. de Prec. imp. off. Coler. d.l.n. 14.*

§. 2. Generis loco posuimus beneficium. At quam fleabile & miserrabile sit beneficium, norunt illi, qui calamitate injuriaque temporum suppressi, ad id tanquam ad asylum configere coguntur. Abunde proinde patet, nos tantum comparative loqui scilicet habitu respectu ad majoris mali evitacionem, quod provenire ex infortunio, variisque tam verbalibus, quam realibus creditorum molestiis solet, adeo, ut saepe cessio bonorum, Carcer Publicus (*nobis der Schuld Thurm*) aut aliud aliquod hujus calamitatis genus timendum sit. Sed ne hoc loco justo longiores simus in descriptionis explicatione, reliqua ejus membra ex iis, quae inferius dicentur uberi paulo illustraturi sumus.

§. 3. Definitionem excipit divisio. Et quamquam Privilegium nostrum essentiales differentias vix assumat & agnoscat, non incommodate tamen dividi posse videtur in Regulare & Irregularre. Regulare dicitur, quod plerumque & regulariter solet concedi, quale est *Quinqvennale*. Irregulare vero est quod rarissime & non nisi prægnantissimis ex causis concedi solet, quale est *Octennale*, immo omne, quod ultra quinqvennium sese extendit.

§. 4. Regulare iterum dispescitur in Annale & *Quinqvennale*



nale. Inter quæ plurimæ intercedunt differentiæ. In annali enim sufficit jurare ipsum debitorem, eum se impetrasse illud pro urgenti sua necessitate sine fraude, nec erit opus alia probati one, nec audi debent Creditores contrarium probare volentes, in Qvinquennali vero necesse est ut probet, se adeo necessitate premi, ut debitum ipsum solvere nequeat. *Besold. in Thes. Pr. verb. Qvinquenni. vers. Est tamen &c.* Bene multas adhuc differentias inter annales & qvinquennales literas recenset. *Fab. in C. Lib. i. t. 9. d. 21. per tot. Qvas cum obser vantia fori nostri non approbaverit test. Anton. d. tr. c. 48. n. 30.* Promissæ brevitatis memores in præsentiarum omittimus.

SECT. III.

De

PERSONIS PRIVILEGIUM MORA- TORIUM CONCEDENTIBUS.

§. 1. Explicata definitione & divisione, ad Personarum con siderationem accedendum est; Sunt verò illæ in duplice differentia, vel enim sunt Concedentes, vel Recipientes seu im petrantes. De illis hac Sect. agetur.

§. 2. Concedentes sunt, qui eminenti potestate possunt, indeq; concedendi facultatem habent. Eam autem habet summus Imperii vel Regni Princeps, qualis in Imperio nostro ipse Imperator, utpote cuius reservatis concessionem PRIV. MORATORII an numerare solent Publicistæ. *Sprenger in Inst. Jur. Publ. l. i. c. 6. p. 36.* Neq; etiam absone: Sive enim respicias effectum, quod eximat aliquem à communibus Juris regulis, & defendat Debtores contra judiciarios Processus seu Creditorum Jura, quæ ipsis invitis suspenduntur, apparet, quod indulgeri nequeat sine superioris potestate, quæ & tueri potest miseros, & necessitatem observantia imponere à Juris sui exercitio per tempus exclusis *David Mev. de Levam. Deb. c. 4. n. 3.* Et cum non ordinariæ, sed extraordinariæ potestatis sit talem gratiam & exceptionem à Jure com. tribuere, nec ab aliis, quam qvib; juris condendi facultas est, proficisci poterit. *arg. l. 2. & 4. C. de Prec. imp. off. l. fin. C. qui bon. ced. poss. Lampad. de Republ. c. 14. §. 2. & 3. p. m. 198.*

§. 3. Competit eitam secundo hæc potestas concedendi Priv. Mor. Regi Rom. utpote cui ipse Imperator una secum hanc faculta-



facultatem expresse reservavit, uti patet ex Ord. Pol. in Frankfurth
de A. 1577. tit von verdorbenen Kauffleuten §. Wen auch solche 4. in verb.
So meynen wir hiermit ernstlich und wollen/das solche Moratoria
und Quinqvenell hinführō nicht mehr gegeben werden sollen/ Wir/
unsere Nachkommen Röm. Käyser oder König sein dann von der Q-
brigkeit/darunter solche verdorbene oder auffgestandene Kauffleute ge-
fessen/zuvor eigentlich berichtet und vergewissert ic. Et in Reform.
Güter Policey de A. 1543. t. 22. von verdorbenen Kauffleuten §. und
nachdem z. his verbis und nachdem sie zu Zeiten bey den Röm. Käy-
sern und Königen Moratoria oder Quinqvenell ausbringen und er-
langen ic. De ejus enim potestate non est dubitandum, siquidem
cum Imp. unum idemq; tribunal & auditorium habere censetur.
Otto d. J. P. c. 15. p. m. 372.

§. 4. Nec tertio excludimus Vicarios seu Locum tenentes
uti vocantur à Fab. C. d. l. def. 23. Sunt enim Vicarii Provisores,
qui vacante Imperio vicem Imp. sustinent & in ejus locum succe-
dunt Otto de Jur. Publ. c. 16. p. m. 375. Hinc gratiosa, quæ neq; in-
damnum Imperii vergunt, nec alienationem continent, Vicariis
prohibita non sunt. A. Bull. c. 5. verbis Ein Verweser und Pfleger des
Reichs seyn. Et notandum est Vicarium Pro regem vel locum te-
nentem, regulariter omnia ea, quæ ipse, cuius vices gerit, facere
posse, ejusdemq; privilegiis & prærogativis omnibus gaudere &
superbire Wehn. Obs. Pr. verb. etiuenannit.

§. 5. Neq; iis tantum, sed ex inveterata Germ. consuetudi-
ne hodie etiam Princip. Imp. concedendi Priv. Mor. facultas com-
petit teste Limn. part. 4. c. 8. n. 320. Ex quo enim Principes Germ.
jurisdictionem Territorialem seu jura Imperialia suis in territoriis
exercere cœperunt Reink. d. R. S. & E. L. 1. cl. 5. c. 6. n. 23. Mod. Pift. Qu.
20. ibid. Schultz. n. 6. Exinde hoc & alia Eminentia propria in iisdem
de longæva consuetudine usurpant. Heig. p. 1. qu. 2. Carpz. in A-
syl. Deb. c. 4. pos. 62. n. 58. 59. & seq.

§. 6. Sed nec Principes Imp. tantum, verum etiam Comi-
tes, Barones, Nobiles immediati, imò & Civitates Imp. hoc Priv.no-
strum in suis territoriis concedere solent, idq; eodem Territoriali
jure, teste Steph. d. Jurisd. l. 2. p. 1. c. 7. n. 389. Reink. d. l. c. 4. n. 31. Knipschild.
d. Jur. Civ. Imp. l. 2. c. 4. n. 67. seq.

§. 7.



§. 7. Qvamq; verò hoc Priv. Mor. etiam à Principibus Statibusve Imp. indulgeatur; notabilis tamen differentia inter Imperatorum Statuumq; intercedit Rescripta. Siq; videm Moratorium ab ipso Imperatore impetratum ubivis locorum in toto Imp. Rom. valet, viresq; suas exerit. At vero à Principe seu alio qvodam Statu Imp. concessum, non contra qvosvis Creditores Imperii, sed solum contra Creditores concedenti Principi aut Statui subiectos, opponi potest testante Myler. ab Ehrenbach d. Princip. & Stat. Imp. R.G. p. 2.c. 55. §. 4. Proinde, si debitor hisce literis munitus, extra ejus territorium reperiatur, veluti in loco contractus, aut destinatæ solutionis, nihil impedit, qvo minus à qvovis extraneo conveniri possit. l. 19. pr. §. 1. & f. ff. de Judic. Myler. ab Ehrenbach d.l. §. 5. Nam cum Principum Statuumvè Potestas sit limitata, ultra fines territorii extendi non poterit.

§. 8. Sed qvid juris, si Creditor extraneus coram territorii Domino, qvi literas hasce induciarias dedit, Debitorum suum conveniat? Et huic Extraneo obstarere in ejus territorio Exceptionem Moratorium verius censet Myl. ab Ehrenb. d.l. §. 6. arg. l. 19. pr. & §. 1. ff. de Jud. l. 53. C.d. Decur. Cui & nos in præsentiarum subscribimus.

§. 9. Deniq; Creditores ipsos Debitoribus hoc Priv. Mor. concedere solere constat ex l.f. C. qui bon. ced. poss. Coler. Pr. Ex l. 1. c. 4. n. 16. Moller. 4. semest. c. 6. n. 5. Id tamen iniqvitatis hic nonnullis subesse videtur, qvod minor pars nolens volens consentire cogatur parti majori inducias Mor. concedenti. Menoch. d. A. f. Qu. cas. 203. n. 11. Carpz. Asyl. Deb. c. 4. pos. 62. n. 67. Qvod enim omnes tangit, ab omnibus debet approbari c. qvod omnes. 29. X. d. R. f. in sexto. Et in his, qvæ sunt plurim communia, non singulorum vel Majoris partis sufficit voluntas, sed omnium adhiberi debet consensus l.f. ff. Commun. Præd. At scrupulum minime hic sibi injici patietur, qvi probe perpendit sanctionem justinianeam in d. l.fin. C. qui bon. ced. poss. Siq; videm vel sola humanitatis ratio inducias à majori creditorum parte confirmatas sustinet, ne pauciores indetractione dilationis pertinaciores, & sibi pariter & reliqvis nimia festinatione ac rigorosa executione præjudicent Carpz. d. l. n. 73.

§. 10. Neq; etiam adversatur nobis superius cit. c. qvod omnes 29. X. d. R. f. ut & l. fin. ff. Commun. Præd. Licet enim vel maxime omnium

nnium ac singulorum voluntatem exquirendam esse concedamus, attamen ex singulorum votis decisio haut erit petenda, sed quod major pars approbat, illud jus facere videtur. Perinde atque sit in iudiciis, Curiis atque Collegiis, ut quæ votorum numero vincit sententia, eadem rationis quod pondere superior esse existimetur Fabr. in C.l. t.7. d. 2. n. 2. Ex eo Carpz. d.l. n.74. § 75.

§. II. Duxi §. preced. Majorem Creditorum partem invitis reliquis, dilationem posse concedere. Unde oritur Quæstio, quomodo major Creditorum pars sit definienda, num ubi major Creditorum numerus, an vero uti major debiti quantitas? Resp. Eam ex quantitate debiti, non ex cumulo Personarum æstimandam esse per l. 8. & l.10. ff. de Paet. Et siquidem unus Creditor aliis omnibus gravior in summa debiti reperiatur, omnibus in unum coadunatis & debitis eorum computatis, ipse alios antecellit ipsiusque sententia obtinet per text. clarum in d. l. f. C. qui bon. ced. poss. ibi. Dn. Brunnem. Carpz. p.2. const. 22. d. 29. At vero, si par est debitorum quantitas (quod tamen raro fit) tunc attendendus est numerus Creditorum, ut plures numero creditores concludant Mantz. Patroc. Deb. Dec. 10. n. 21. Quod si etiam æquivalis sit numerus, dignitatis habenda est ratio arg. l. f. C. de fide Instr. Mantz. d. decis 10. n. 25. Brunnem. d. l. n. 2.

§. 12. Porro num Creditores Chyrographarii, si majorem Creditorum partem constituant, hypothecariis, pingviorem securitatem habentibus, præjudicare possint? ambigitur. Negativæ subscribit Coler. de Process. Execut. d.p. 1. c. 4. n. 17. 18. seqq. Affirmativam, vero tuetur Afflict. Decis. Neap. 288. n. 5. Carpz. c.l.n. 84. quæ & veritati & æquitati magis convenire videtur, tum per generalitatem textus d.l.f. C. qui bon. ced. tum quod istæ induciæ conventionales Matorix nihil plane de summa debiti auferant & remittant, sed exactiōnem saltem ejus ad certum tempus suspendant, quo spaciū se re-colligendi relinquantur Debitori, salvo tamen jure hypothecariorum reali, ex quo post terminum etiam elapsum chyrographariis præferuntur. Carpz. in Asyl. Deb. d.l.n. 68.

SECT. IV.

De

PERSONIS PRIVIL. MOR. IMPERANTIBUS.

§. I.

§. 1. Tantum de Personis concedentibus dictum sufficiat. Recipientes seu impetrantes Priv. Mor. sunt Debitores casu aliquo fortuito ad summam egestatem redacti, de quibus in genere sciendum, nunq. iis hoc Priv. nostrum absq; magna difficultate & solutionis facienda impossibilitate concedi debere, testante Wehn. Obs. Pract. verb. Anstands Brieff. pr.

§. 2. Hæc difficultas & impossibilitas solvendi, cum plerumque mercatoribus eveniat, sc. ut ex infortunio aliquo lapsi, omnem perdant fidem, non absq; jactura singulari Reip. quæ nec Mercatoribus, nec commerciorum exercitio carere potest. Carpz. l. 2. Rep. 92. n. 18. & l. 4. Rep. 36. n. 13. Iis præprimis conceditur hoc Priv. nostrum, idq; eo magis, quoniam mercatorum obxatorum expressè mentionem facit. Const. Imp. d. A. 1548. & 1577.

§. 3. Ex allegatis tamen his Const. Imp. firmiter non poterit concludi Mercatoribus tantum, exclusis aliis Debitoribus, hoc Priv. concedi posse & debere. Unius siquidem (ut Logici loquuntur) Inclusio, non est alterius exclusio, quando ratio in Constitutione, ut hic (fortunæ injuria) posita, generalis est l. 9. s. 5. ff. d. 3. & fact. ignor. Reink. d. R. S. & E. L. 2. cl. 2. c. 11. n. 31. quæ & que in aliis debitoribus ac in Mercatoribus operatur atq; effectum habere debet. Herm. Herm. in fasc. 3. P. c. 11. n. 108.

§. 4. Neq; etiam Privati tantum ejusmodi Privilegium, impetrare possunt, sed & Syndicus Universitatis, Civitatis, Communitatis, Collegii, Capituli, Cœnobii nomine, si in eam egestatem immerito Civitas vel Universitas de lapsa sit, ut subveniri ei merito sit necesse: Faber in C. l. 1. t. 9. Def. 18. Afflict. Decis. Neap. 377. per tot. Dispositio enim generalis, non tantum Personas singulares, sed corpora etiam universitatis complectitur. per l. 7. s. fin. & l. 9. ff. d. Jurisd. idq; de consuetudine nostrarum Provinciarum usu observari testatur Magnif. Dn. Brunnem. ad l. 4. C. de Prec. Imp. off.

§. 5. Imo quin Judæi quoq; si non sua culpa ad inopiam redacti, Creditoribus satisfacere nequeant, ad hoc Priv. Mor. aspirare, liciteq; illud usurpare possint, nemo est fere qui dubitet arg. l. 8. C. d. Jud. & Cœl. Constat quippe experientia, quod aliis juris beneficiis, ut Restitutione in integrum, salvo conductu, Præscripitione & similibus, sicuti Christiani, fruantur, cur igitur non & his induciis? Wurms. nucl. contr. L. 1. t. 9. contr. 2. Herm. Herm. d. l. n. 10.



§. 6. Porro & per Consequentiam Fidejussionibus qvoqve
(non quidem illis, qui concessis Moratoriis obligationi Principali
accedunt, sed illis, qui jam ante Creditori dati erant *Limn. de Jur.
Publ. p. 4. c. 8. n. 337. Herm. Herm. d. l. in fin.*) Priv. nostro Mor. pro-
spicitur. Nam juris nostri ratio non patitur molestari Fidejuss. pri-
usquam Principales fuerunt conventi: *Nov. 4. c. 1.* Induciis ergo
Debitoribus concessis, dies solutionis prorogatus censetur, ita, ut
exigi ab illis nequeat debitum: *Qvomodo igitur pulsari poterunt
fidejussores, si dies solutionis nondum venerit?* Sane iniqva in-
ferreretur fidejussorib⁹ conditio, si ipsis beneficium ordinis inver-
teretur: jam vero beneficium Principis ita interpretandum, ne ter-
tio præjudicet. *I. 43. pr. ff. d. Vulg. & Pup. subst. Dn. Schopfer. in disp. de
Except. Jenæ hab. Sect. 3. §. 20. Herm. Herm. d. l. n. 113. Carpz. d. l. n. 47.
Dissent. tamen Dn. Ludvv. Exerc. 17. th. 4. lit. b.*

§. 7. Sicuti autem hoc Priv. Mor. Fidejussoribus per con-
sequentiā (ut §. præced. demonstravimus) competit, ita qvoqve
Heredibus debitorum illo succurri verius censemus cum *Carpzov.
in Asyl. Deb. d. l. n. 48. Limn. d. c. 8. n. 345.* Licet negari non possit,
euti agere debitores, heredis qvoq; nomen Rescriptis Morat. in-
seri facientes, qvo omnis præcidatur via & occasio de intellectu
privilegii disputantibus, sicuti asserunt *Limn. & Carpz. d. l.*

§. 8. Atqve hæ sunt Personæ, qvibus Privilegium nostrum
imperandi facultas concessa est. Reliquum itaqve est in hac sect. ut
qvibus denegetur, brevibus perlustremus.

§. 9. Cum igitur illis tantum Priv. Mor. concedi possit, qui
casu fortuito, extra culpam, novercales fortunæ assultus sustinuerent,
atqve sic fortunarum suarum jacturam passi sunt, patet exinde
concedi non debere fallitis Mercatoribus, Decoctoribus & Ban-
ceruptoribus, qui suo vitio & luxu bona obliguriverunt aliosqve
secum fraudulenter in inopiam præcipitarunt *Hermes d. l. in fin.* Id
qvod etiam expressis verbis continetur in d. Refor. *Guter Policey
zu Augspurg de Anno 1588, tit. von verdorbenen Rauffleuten 22.
& de Anno 1577. tit. cod. 23 §. 1.* Den muthwilligen Bankroti-
tern und Falliten / die nicht aus unverschehen zugestanden Unfällen
oder Schaden ins Verderben kommen / sondern aus Muthwillen/
oder vieler Pracht und der gleichen zum Falliment gebracht worden se,
Besold.



Besold. in Thes. Pract. verb. Qvinqvenell. §. & hujus. in fin. Knipschild. ds
Civ. Imp. l. 2. c. 4. n. 69.

§. 10. Ulterius arcentur à beneficio nostri adquisitione.
I. Apostatæ l. 4. C. de Apostat. II. Excommunicati excommunicatione majore arg. C. 16. 32. § 33. Cauf. 11. qv. 3. III. Depor-tati, qvibus omnia bona adimuntur. l. 2. C. d. Bon. Proscript. IV. Banniti imp. qvi deterioris adhuc conditionis, qvam deportati es-se videntur, per ea, qvæ trad. Geil. 2. de Pac. publ. c. 6. n. 9. § 10. V. U-sturarii manifesti, qvi, cum Majestatem Dei lædant & hominum societati adversentur, merito ex legitimo expunguntur consortio. Ludvv. Synops. Jur. Feud. c. 6. p. m. 129. VI. Damnati deniq; de Crimine aliquo publ. ut puta Læsa Maj. l. fin. C. ad L. Jul. Maj. l. 9. C. d. bon. Proscript. Hi enim omnes hoc beneficio indigni sunt, culpaq; suâ atq; maleficio, in eum Statum, in qvo sunt, devenerunt.

SECT. V.

De

DEBITIS ET CAUSIS MORATORIUM RECIPIENTIBUS VEL NON.

§. 1. Personis Priv. Mor. conferentibus & accipientibus re-lictis, recte succedit enumeratio debitorum causarumq; qvæ illud vel recipiunt, vel respuunt. Recipiunt autem regulariter omnia omnino debita, & seu hypothecariæ sint, seu chyrographaria, nihil refert, aduersus utriusq; generis credores enim hæ induciæ confi-stere possunt, nisi specialiter qvædam debita excepta sint. Peretz. ad C. tit. qvi bon. ced. poss. n. 27.

§. 2. Specialiter v. prohibetur I. qvod debetur inopi, & majore paupertatis necessitate oppresso. Affl. Dec. 377. Ita enim unius egestati subveniendum, ne alterum & qve pauperem vel pau-periorem suppressimus, exindeq; Rescripta Mor. in eos tantum Creditores exerceri solent, qvi onus moræ ferre possunt, Illi vero qvi non possunt, nec hoc casu gravandi sunt, videtur enim Princeps jus illorum magis evertere qvam differre, qvod de eo nun-
qvam præsumitur, Moller. 4. Sem. c. 6. num. 2.



§. 3. II. Qvod debetur Mercenariis vel operariis, qvi qvotidiano sudore & opera se suosq; alere ac sustentare solent, adeo debita non solum jure Div. multum privilegiata habent, *Lev. c. 19. vers. 16. Deut. c. 21. vers. 14. & 15. Matth. 10. v. 10.* sed etiam fere omnibus in locis aliis Creditoribus tanquam magis privilegiati, præferuntur. *Carpz. Af. Deb. d. l. n. 55. Wehn. O. P. d. l. §. notandum.*

§. 4. Itidem III. huic Concessioni locus non erit in Debitis juratis, qvia Principis dispositio generaliter loquens, non extenditur ad casum, in qvo inter venit juramentum *Afl. d. 5.* (ubi sic semper judicatum esse testatur) *Menoch. d. A. J. Qu. cas. 403. n. 4. & seq. Col. d. Pr. Exec. p. 1. c. 4. n. 14.*

§. 5. Qvod IV. etiam de eo casu intelligi volo, si debitor huic benef. expresse renunciaverit Constat qvippe, qvemlibet favori pro se introducto renunciare posse. *I. 69. ff. d. R. J.* Sic enim Mulier potest renunciare benef., *SC. Vell. I. ult. §. pen. ad SC. Vell.* Unde absurdum videtur Imperatori nostro redire adhoc velle, cui qvis renunciandū antea putavit *I. II. C. d. Reb. Cred. Eth. hæc qvæ dicta sunt, regulariter procedunt.* Limitantur autem, qvando Princeps ad petitionem obxratī debitoris dispensare vult, & in Rescripto juramenti vel Renunciationis expresse facit mentionem; qvod sc. non obstante Juramento & Renunciatione, Moratorii tenor observari debeat. Præsertim cum relaxatio juramenti Seculari etiam Principi competat, qvod & maxime apud nos obtinet, cum Cameræ Imperiali & Statibus Imp. à Cæs. Maj. ea potestas concessa reperiatur in der Kammer-Gerichts-Ordn. p. 2. t. von Relaxation der Eyde. *Besold. Th. Praet. d. l.*

§. 6. Præterea V. ejusm. literæ ad Ecclesiastica vel Pia loca non sunt porrigendæ arg. *I. 43. inf. ff. d. Relig. & Sumt. fun.* Ne Princeps contra Religiosos qvidqvam rigoris attentasse videatur *Menoch. d. l. cas. 203. n. 20.* Ecclesiæ enim favor magnus est, ita, ut etiam commodo publ. anteferri debeat. Non tamen Ecclesia Priv. suum acerbe nimis contra summa paupertate oppressum exerceat, utpote cujus prop. est, egenorum rationem habere, adeo, ut vel pauperum causa Res Eccl. qvæ alias commercium respuunt, vendi & distrahi possint. *Dd. ad l. 21. C. d. SS. Eccl.*

§. 7. Nec VI. ad Debita Fiscalia. *Schoenb. lib. 5. Pol. c. 26. num. fin.* Nemo enim qvid fisco vel ejus juri damnosum postulare debet & Reip.



Reip. necessarium est, ut qvam citissimè debita fiscalia exigantur
Nov. 17. c. 7. §. 1. Besold. d. l. §. nec ad Sc. Notanter tamen fallit hæc
nostra assertio, si Princeps speciali clementia motus, Fisci sui remit-
tere velit Priv. & Pingviorem debitoris expectare fortunam l. 45.
§. 4 ff. d. Jur. Fisc.

§. 8. Nec VII. extenditur ad debita Pupillaria, Minoris, Vi-
duæ aliarumqve miserabilium Personarum, qvoniam hisce Perso-
nis semper alias subveniri consuetum, propter ætatem, lubricum
consilium, infirmumq; animi intellectum. l. i. prff. d. Min. Præterea
Fiscus, Ecclesia & Pupillus qvoad concessa Priv. comparari solent.
Manz. Dec. 4. qv. 9. n. 69. Everh. in Loc. Top. loco à Minore ad Fisc.
Quid qvod omnium maximus est favor pupillorum & viduarum,
qvas personas etiam Deus ipse sibi maximè commendatas esse vult,
& ut ab omnibus offenditionibus, in iuriis atq; oppressionibus de-
fendantur, serio præcepit, qvemadmodum ex multis Script. S. locis
constat Exod. c. 22. vers. 22. Matt. 23. vers. 14. seq.

§. 9. Nec VIII. ad debitum ex venditione Edulium & re-
rum commestibilium, in pleno, qvod ajunt, foro mercatuq; ve-
naliū arg. l. 2 ff. de Nund. Qvod publica exigit utilitas, ne necessarium
hoc eduliorum commercium impediatur & homines fame pereant
Besold. d. l. §. nec extenditur.

§. 10. Item IX. Debitor contra Creditores futuros i.e. Eos,
cum qvibus post impetratum Rescriptum contraxit, hoc Priv. Mor.
opponere nequit. Privilegia enim semper de iis casibus intelli-
genda sunt, de qvib; tempore concessionis cogitatum fuit Coler. d.
Pr. Exec. p. 1. c. 4. n. 15. Et argumentum etiam sumitur à Cessione Bon.
qvæ non nisi in debitis præteritis seu ante cessionem contractis,
non etiam in futuris & supervenientib; cedenti proficit l. 3. C. d.
bon. auctor. Jud. poss. Herm. Herm d. l. n. 117.

§. 11. Nec X. contra Depositi repetitionem: Idq; propter exu-
berantiam bon. fid. qvæ à depositario præstanda est, & rectè; Depo-
siti enim causa ut in pluribus aliis l. 7. §. 2. & 3. ff. Depos. Ita & in hoc
casu privilegiata censetur. Siq; videm res deposita ad arbitrium
Domini deponentis, sine ulla mora & qvam celerrimè est restituenda
l. 1. §. 22. & §. 45. ff. eod. l. 11. pr. C. eod. Boer. d. 296. n. 4. Surd. dec. 323.
Idem dicendum in causa commodati, qvoties res ipsa adhuc extat
Carpz. p. 1. c. 8. d. 22. in fin.

§. 12.



§. 12. Ulterius XI. Excludit Priv. nostrum Dos, seu ea solvenda seu repetenda sit. Causa enim dotis æqviparatur causis piis Ayrer. ad l. un. C. d. Error. Calc. Item alimentis Schultz. in add. ad M. Pist. p. 3. q. 122. n. 118. Anton. d. Rescript. Mor. conc. 41.

§. 13. Huc & XII. Debitum alimentorum spectat. Venter enim caret auribus, nec patitur dilationem, cum nemo vento vivat l. 2. C. d. Alim. pup. præstand. Imò famis causâ, qva nulla durior esse potest, furtum impunitum dimitti, modo sit factum in commestibiliis aut ad vestiendum necessariis rebus inter alios tradit Jacob. Fabr. tract. d. Alim. c. 5. p. m. 151. Surd. d. 323.

§. 14. Porro XIII. Priv. Mor. non est locus cum de eo debito agitur, qvod descendit ex sententia, qvæ transivit in rem jud. à qva non potest appellari. Illud enim facit autoritas Rei jud. qvam Rescriptio Principis rescindi non oportet. Faber. in C. lib. 1. t. 9. d. 4. Si tamen, qvod ex Re Jud. debebatur, translatum sit in casum novæ obligationis per contractum, atq; ita Novatio facta sit, Rescripto locus erit. Novatione enim facta, prioris obligationis qualitas & conditio non inspicitur, sed tantum posterioris. l. 29. ff. de Nov. Faber in C. d. l.

§. 15. XIV. Excludunt Dd. nostrum Priv. à contractu Locationis Cond. seu qvæstio sit de Mercede censu & pensione, seu de Restitutione Rei Loc. Boer. d. dec. 296. n. 6. Qvod & qvilibet facile largietur, cum res locata finito tempore Conductionis confessim (atqve sic exclusa omni mora) restituï debeat, adeo, ut conductor ejusdem restitutionem per except. Dominii vel aliam protegere non possit. l. 25. C. Loc. Cond. Afflict. Dec. 12. Fab. in C. l. 4. t. 41. d. 20. Imprimis verò, ut evitetur absurdum illud juris, quo conductor habeat & Rem & Mercedem Limn. d. l. n. 343. Qvibus & illud accedit, qvod Locator possit res in vectas & illatas in domum conductam retineret usq; dum pensio ipsi solvatur l. 5. C. Loc.

§. 16. Deniq; XV. Debita ex causa Delicti, non admittunt Priv. Mor. arg. l. 51. & 52. ff. de Re Jud. Nemini enim maleficia lucrosa esse debent l. 1. pr. ff. d. Dol. Mal. Sed publice interest ut propter deterritionem aliis exempla adsint, maleq; meritus publice egestate labore. l. 31. pr. ff. Depos. Limn. d. l. num. 344. Herm. d. l. num. 118.

SECT.



SECT. VI.

De

REQVISITIS Ad PRIVIL.MORATOR. Conseqvendum necessariis.

§. 1. Cum Sect. præced. de Debitis eorumq; Qualitatibus satis actum sit, recto nunc ordine ad requisitorum, qvæ ad Privil. Mor. obtainendum summe sunt necessaria, evolutionem, nos convertimus.

§. 2. Primum horum reqvisitorum locum sibi videtur vindicare Prævia petitio. Præcedunt qvippe concessionem Moratorii preces seu supplicatio Debitoris obcerati, ut patet ex rubr. § l. 2. C. d. Prec. Imp. off. Invito siqvadem & nolenti non datur beneficium l. 69. & 156. §. 4. ff. d. R. J. Rescriptaq; Principum emanant ut plurimum ad instantiam partis. l. 1. & tt. C. de Precib. Imp. off. Reink. d. l. cl. 2.c.8. num. 14.

§. 3. Secundo reqviritur Debitorum, eorumq; qualitatum descriptio & enumeratio, idq; maxime necessarium est, siqvadem non aliter potest cognosci, num ejusmodi sit debitum, ut moram recipiat. Menoch. d. A. J. Qu. c. 203. n. 4. & seq. Hering. d. Fidejuss. c. 5. n. 125. Imo omnia ea exponi debent, qvæ retrahere possunt Principem à concessione gratiæ Salgad. in Labyr. Deb. p. 2. c. 30. n. 13. & seq. Brunnem. ad l. 4. C. de Prec. Imp. off. n. fin. Qvod si igitur suppressa horum debitorum mentione eliciatur Rescriptum, tanquam subreptitium, Debitori non erit proficuum, ut clara verba sunt in d. Reform. Guter Polscy d. I. Zang. d. Except. p. 2. c. 12. n. 4. Brunnem. d. l.

§. 4. Tertium reqvisitum est Solutionis difficultas. Rescripta etenim Mor. nunquam sunt concedenda absq; magna difficultate & solutionis facienda impossibilitate Wehn. verb. Anstandsbrief. pr. Carpz. Asyl. Deb. c. 4. p. 60. n. 24. Difficultas autem ista non debet esse affectata, nec ex Dolo culpaq; Debitoris proficiscatur, sed is fortunæ vitio, incendio v. gr. Ruina, naufragio, furtis, rapinis aut simili aliquo casu se facilatibus lapsum perspicue probare debet Affl. Dec. 377.

§. 5. Ex hac autem infortunii probatione quartum nunc eruitur reqvisitum, nempe paupertatis Probatio. Princeps enim nunquam paratum se præstat ad hoc beneficium, priusquam Debitor

C



tor paupertatem, & ex qvo infortunio haut solvendo factus fuerit, probaverit, idq; plerumq; testimonio Magistratus fieri solet, per d. clarum Reces. Imp. d. A. 1548. t. 22. Wehn. d. l. circ. fin. Carpz. d. l. n. 26. Qvamq; non prohibeatur loco Testimonii à Magistr. aliis qvandoq; documentis ac probationibus uti. Qvod si vero non probaverit, Privilegium, qvantumvis jamjam impetratum, irritum tamen ac nullum pronunciatur, docente ex Gvid. Pap. Dec. 97. § 109. Wehner. d. l.

§. 6. Qvintum Reqv. consistit in tempore legitimo. Qvo usq; vero illud tempus legitimum sese extendat, miris modis inter se disputant Dd. Verum arbitror potestati & arbitrio Principis neminem hic metam ponere, præter circumstantias, qvæ tales esse possunt, ut ad Annalium, Biennalium, Qvinquennialium, imo & ulteriore induciarum terminum principem permovereant Limn. d. I. P. l. 4. c. 8. n. 332. Hinc & se octennales ab Imp. prægnantis simis ex causis datas vidisse, testatur, modo laudatus Limn. d. l.

§. 7. Eqvidem Plurimi Dd. hoc Priv. nostrum ultra qvinq; quennium extendi non posse intrepide asserunt, Ant. Fab. in C. l. 1. t. 9. d. 17. Ant. d. tr. concl. 48. pertot. & alii plures. Verum enim vero nulla dari potest ratio, qvare præcise qvinq; quennium tantum sit concedendum. Nam qvamvis dilatio Qvinquennalis, ex omnibus reliquis hodie saltem in Imperio Rom. Germ. usu receptior ac frequentior sit, ejusq; duntaxat mentionem faciant d. Reces. Imp. d. Anno 1548. § 1577. test. Trenta zing. Variar. Resol. l. 3. t. d. solut. Resol. l. n. 2. Exinde tamen neutiq; seqvitur, ultra qvinq; quennium ejusmodi Priv. Mor. concedi atq; extendi non posse, qvinq; potius pro nostra sententia facit, qvod Imper. qui ex rationabili causa inducas ad qvinq; annos dedit, non solum eas lapso qvinq; quennio prolongare & iterato concedere arg. l. 7. ff. d. Feriis. Herm. Herm. d. l. n. m. Sed etiam Creditori jus certò modò plane auferre valeat, utilitate præsertim & necessitate publica ita exigente, Gail. 2. O. 56. n. 1. Myns. 5. O. 97. n. 4.

§. 8. Insuper Sexto reqviritur Idonea Fidejussio: Qvippe non gaudet beneficio Dilationis debitor, nisi idoneam fidejussiōnem super Debiti solutione præstet l. 4. C. d. Prec. Imp. off. ibi q; Gl. Gail. 2. O. 46. n. 14. idq; non sine ratione: Creditor enim gravatus in uno, in alio iterum sublevari debet Brunnem. ad d. l. 4. n. 2. Faber. d. l.



d. l. d. 6. Hering. de Fidejuss. c. 12. n. 474. Aliam adhuc subnectit causam Besold. scil. ne debitor bona, quæ adhuc salva reperiuntur, intermedio tempore prodigaliter consumat, vel plane prodigus fiat, & sic Creditores suos in totum fraudet Besold. d.l.

§. 9. Et hanc Cautionem Satisd. debet præstare Debitor, licet Princeps eam remittere velit, nisi appareat enixa voluntas Principis, quod voluerit derogare juri Com. ex clausula NON OBSTANTE Salg. in Labyr. Deb. p. 2. c. 30. n. 6. & 7. eumq; secutus Brunnem. ad d. l. 4. n. 4. & 5. Princeps enim in dubio juris Com. Regulis se conformasse creditur arg. l. 4. C. d. LL. Ludvv. in Synop. J. Feud. c. 7. §. 2. p. 143. Imo verba Rescripti debent æquitati conformari & reduci ad jus Com. etiamsi natura verborum interdum bene illud non patiatur arg. l. 11. ff. d. in jus Voc. Gail. 1. O. 33. n. 6.

§. 10. Notanter autem limitatur nostrum assertum quod Debitor non teneatur cautionem istam præstare, nisi à Creditoribus exigatur Salg. d. l. n. 9. Brunnem. ad d. l. 4. n. 5. De horum enim præjudicio agitur p. d. l. 4. Non igitur opus est, ut Princeps Proprio motu eam exigat, sed sufficit, si potentibus Creditoribus moram non faciat, nec debitores immunes dimittat. Hering. d. tr. c. 5. n. 113. Non desunt vero, qui hâc in parte à nobis divortium faciunt, ut Zanger. d. Except. p. 2. c. 12. n. 14. Trentacing. & alii citati ab Hillig. Lib. 2. Donel. Enucl. c. 9. lit. m. Existimantes desuetudine penitus abrogatam hanc Fidejussionem, à quibus tamen optimo jure videtur recedere Limn. d. c. 8. n. 329. & seq. Eumque secutus Carpzov. in Asyl. Deb. d. c. 4. n. 30. seq. Se non latere, inquietus, errore magis quam certa desuetudine fidejussionem hoc casu non observatam esse.

§. 11. Circa finem hujus Sect. quæst. est; si Debitor omni adhibita diligentia Fidejussores reperire non possit, num adjuroriam Cautionem sit admittendus? Quod Aff. existimo, non tamen alter, quam si (1.) Virtus integritate sit conspicuus, probata existimationis & non suspectus de fuga Zang. d. Except. p. 2. c. 21. n. 48. Gail. 1. O. 48. n. 6. (2.) Ut juret (at de Credulitate tantum propter anceps perjurium) se fidejussores idoneos, quamvis summâ, tam perse, quam per alios, adhibita diligentia reperire non posse, Gail. 2. O. 47. n. 8. Carpz. p. 1. c. 5. d. 9. n. 23.

SECT. VII.

De

PRIVILEGII MORATORII FINE & Effectu.

§. 1. Tantum de requisitis hujus nostri Priv. dixisse sufficiat,
Restat paucis finis atq[ue] effectus, qui varii sunt atq[ue] amplissimi.

§. 2. Finis autem Priv. Mor. (ut paucis multa complecta-
m[ur]) unice in eo videtur consistere, qvo Debitores depauperati,
durante dilatione, ad frugem redire, Resq[ue] suas in meliorem statum
deducere, ac eo melius postea omnibus Creditoribus solvere que-
ant. Ut sic in utriusq[ue] commodum ac utilitatem induciæ hæ fuerint
approbatæ ab Imp. Justiniano in l. fin. C. qvi bon. ced. poss. Limn. d. l. n.
337. Carpz. in Asyl. Deb. pos. 61. n. 37.

§. 3. Ad effectus, qui, veluti diximus, varii sunt, progressum
facimus. E qvorum censu primum videtur locum obtinere, qvod
Moratorio impetrato, tutus omnino sit debitor, qvo minus sortem
vel etiam usuras tempore præfixo durante, exsolvere teneatur, vel
saltem hoc nomine molestari queat. Carpz. d. l.

§. 4. Estq[ue] tanto pingvior Effectus hujus Priv. Mor. qvo-
niam non tantum Debitores Principales, verum etiam Fidejussores
illorum atque heredes tutos ab executione, tempore Moratorii
currente, præstat, uti supra. Sect. 4. §. 6. & 7. uberioris demonstratum
dedimus, indeq[ue] id ingrata repetitione hic iterare nolumus. Fallunt
ergo, qui hoc Priv. Mor. venditant Personale, aut licet hoc vel ma-
xime concedamus, fateri tamen & illud oportet, in rem certō modō
simil datum esse, adeoq[ue] ut jam dictum, & Fidejussoribus compe-
tere. Carpz. n. 46.

§. 5. Ad effectum Moratorii III. refertur, ut dies solutioni
alias præfinitus, prorogatus censeatur, & tum demum existere,
qvando induciæ exspirant Limn. d. l. n. 338. Carpz. d. l. n. 45.

§. 6. Quartus Effectus est, qvod etiam contra Instrumenta
liqvida & Gvarentigata hoc beneficium opponi possit. Etsi enim,
vigore Ordin. Prov. contra Instrumenta obligationum liqvida, nulla
alia, qvam solutionis & Compensationis exceptio admittatur, adeo,
ut vim judicati, atq[ue] sic statim paratam executionem habere intel-
ligantur, tamen hac in parte non eodem gaudent Priv. Eorum,
namq[ue]



namque vis per hujusmodi Rescripta Mor. suspenditur, non solum si executio nondum facta sit, sed etiam cum jam secuta est, detrusque debitor in carceres. Faber. C. lib. i. t. 9. d. 5. Coler. Pr. Exec. p. i. c. 9. n. 38. Berl. p. i. concl. 84. n. 52. Moller. 4. Sem. c. 6. n. 1.

§. 7. Quintus nunc sequitur effectus, qui est, quod dilatio tollat atque excludat beneficium cessionis bonorum, seu quod post adhibitum & finitum beneficium Mor. à Principe vel Creditoribus concessum, non amplius ad cessionis remedium admittatur debitor. l. fin. C. qui bon. ced. poss. ibid. Dn. Brunnem. n. 4. Schneidevvein ad §. fin. Inst. d. Action. n. 5 Privilegii qui ippe hujus electione videtur Cessionis beneficio renunciare Debitor, & sufficit una gratia, nec duplicitate creditores gravandi sunt. Hering. d. Fidej. c. 5. n. 126. § 127. Brun. d. l.

§. 8. Sextus effectus est, quod debitor, qui Priv. Mor. contra Creditores suos impetravit, eo ipso debitum non negare, sed potius confiteri & agnoscere censeatur. Cravert. Conf. 237. Tenetur enim supplicans qualitatem Debiti omnino definire. Quid autem delinearet, imo quid impetraret solutionis dilationem, si nihil deberet Hering. d. tr. n. 175. § 176.

§. 9. Septimus Effectus consistit in eo, quod interea temporis, quo alicui dilatio Morat. indulta est, Præscriptio adversus Creditores non currat. l. f. C. qui bon. ced. poss. in fin. ibid. Gothofr. in not. lit. r. Etenim non valenti agere, non currit præscriptio arg. l. i. §. 2. C. d. Annal. Except. Cum igitur Creditor, contra quem Moratorium concessum est, intermedio tempore prohibeat agere, negligenter quoque vitio ea propter insimulari nequit, indeque multo minus Præscriptio aliqua (quæ debitum præsupponit exigibile Schefer. Qu. Pract. p. 2. qu. 4. n. 3.) adversus ipsum currere potest. Præser-tim, cum debitor ignarus non sit, quod, ut maxime agere intende-ret, in vanum tamen laboraret, propter exceptionem Moratorium. Cessante itaque ratione præscribendi, cessare etiam debet ipsa præscriptio W^{es}enb. π. ff. d. Rescind. Vend. in fin. Anton. d. tr. concl. 58. n. 16.

§. 10. Octavus effectus est, quod Debitor, post impetratas inducias non possit dici moram aliquam committere vel adeo ulla moratoris pœna affici. Is enim, cui data est dilatio à lege, vel à Principe, in mora haut versatur, nisi dilatio sit præterlapsa vel ei renunciata Gloss. in l. 14. s. quatenus 10. verb. tripli lit. b. Anton. d. l.



c. 59. n. 13. Quid qvod summe iniqvum esset, si moram ab eo committi diceremus, qvi ad id faciendum obligatus non probatur, in quo commissa Mora asseritur l. 127. ff. d. V.O. l. 5. si cert. pet. Anton. d. l. n. 37.

§. 11. Porro ad effectus Moratorii vulgo referunt, qvod Debitor, qvi ejusmodi Priv. est consecutus, currente tempore præfixo, non possit adversus suos Debitores agere, atq; sic eodem jure uti debeat, qvod in alios statuit. Carpz. p. 3. c. 38. d. 1. n. 12. Afflit. dec. 66. &c. Eckold. ad ff. t. Quod quisq; juris in alt. §. 8. Verum humanius videtur, eum, qvi hujusmodi literas impetravit, non eo minus interim valeare à suis Debitoribus exigere, & legitimis actionibus perseqvi, id, qvod sibi debetur. Ad hunc siqvidem finem dilatio ipsi impetrata & concessa est, ut intermedio tempore possit cogitare de mediis solvendi, ac exigere vicissim debita, qvibus alii ipsi devinetti sunt. Si vero moram à suis debitoribus pateretur, cessaret finis & intentione Creditorum & privilegii, atq; sic actus agentium ultra seu potius contra eorum intentionem operarentur contra l. 19. ff. d. R. Cred. Gail. d. Arrest. Imp. c. 14. n. 3.

§. 12. Deusuris deniq; medii temporis, ex conventione & stipulatione debitis, num Debitor ad eas moratori tempore teneatur, nec ne? Dd. haec tenus convenire haut potuerunt. A partibus Negantium cum aliis stant Carpz. p. 2. c. 30. d. 46. Moller. 4. sem. c. 7. Boer. dec. 296. Contra vero affirmantium castra tuetur post alios Dn. Philip. Obs. ad Dec. Nov. El. Decis. 30. O. 1. Dn. Finkelth. Obs. 47. Molin. de Usur. qu. 82. n. 624. Qvorum sententiam in præsenciarum facimus nostram, cum Magistratus superior, ex natura rescripti Mor. Creditori neq; sortem, neq; usuras auferat, sed meram dilationem Debitori indulgeat, ad certum tempus, intra qvod à Creditoribus molestari non debeat. Dn. Philip. d. l. n. 20. Et hæc dilatio Miserationis causa in vitis sæpè Creditoribus datur, unde strictior nec ad remissionem usurarum extendenda est. Molin. d. l. Dn. Philip. d. l. n. 22.

§. 13. Atq; hæc sunt L.B. qvæ exhibere Tibi in præsenti volui. Potuissem eqvidem in ubiorem campum excurrere, materiamq; ve hanc paulò fusiūs pertractare. Sed ne disputationis fines transfilire videar, in hoc acq; viescere placuit. Tu interim omnia
et qvi boni qve consule.

COROL-



COROLLARIA.

- I. Exceptio non numeratae pecuniæ, etiamsi Debitor onus probandi in se velit suscipere, post biennium non potest opponi.
 - II. Dolus, dans causam contractui bon. fid., eum reddit ipso jure nullum.
 - III. Liberi, juste exheredati, connumerantur in computatione Legitimæ, seu cæteris partem faciunt.
-

Sicut Apes, æstate novâ, per rura, per agros,
Improba, floriferos, cura, laborq; tenet.
Per Themidos campos, sic Tu quoque sedulus erras
Pohlmann, & studii dulcia mella legis.
Perge ita, nec pulchros cesses decerpere, in hortis
Aonidum, fructus, perge, per aspra Decus.
Hoc tibi promittit, vel me sponsore, Thalia.
Nam Themis immunes non sinit esse suos.

*Affectus testandi causâ
Nobilissimo Domino Respondenti apposuit*

PRÆSES.

SE CURITATIS LITTERAS
SQuas SAXOFERREAS VOCAT,
Non SAXEIS aut FERREIS,
Sed litteratis thesibus
Et thesibus sat AUREIS
Conatus est describere

POL-



POHLMANNUS, OPTIMÆ INDOLIS
SPEIQUE FLORENTISSIMÆ
JUVENIS, DECUS STUDENTIUM,

Benevolentiam debitam

Suo

Auditori Consalino Amico

testaturus

scrib.

Fridr. Geißler/Silesius, Phil. & J. U. D.
ac Prof. Publ.

Sonnet.

S Er Pohl vereinbart sich / und liebt das harte Eysen/
Das in dem Bogen-Strich der runden Erden hafst/
Der Magnet neigt dahin und seine Wunderkrafft
Zeigt sehr genau die Straß/will man die Erd umbkraysen
Auff ungebahnten Meer. So kan auch glücklich reisen
Der sich dem Meer vertraut der tieffen Wissenschaft.
Wer hier schlägt Ruder an/ wird in die höh gerafft
Und anckert tresslich wohl. Fleiß müssen Götter preisen.
Herr Pohlmann schifft dahin. Er kan das Ruder führen/
Der Compas ist gericht. Er folgt der Zugend führen.
Und acht die Klippen nicht. Drumb liebelt ihn der Pohl/
Er blinckt und funckelt schön dort an dem Himmels Bogen:
Weil keinem Fleiß und Schweiß er niemals sich entzogen.
Schlag ferner Ruder an/fahr fort und segle wohl!

Mit diesen wenigen wolten gegen den Herrn Respon-
denter ihre Affecte on bezeugen

Gämbtliche Tischbursche.

F I N I S.



99 A 6952



VJ 17

RWHA ✓







xxiv

J. P.

DISSERTATIO JURIDICA
De
**PRIVILEGIIS
MORATORIIS,**

Vulgo
Eisernen Briefen/

Qvam
Indultu Amplissimæ Facultatis Juridicæ Lipsiens.

PRAE S I D E
Viro Maxime Reverendo, Nobilissimo, Amplissimo,
Consultissimo atq; Excellentissimo

**DN. PAULO FRANCISCO
ROMANO, J.U.D.**

Pandectarum P. P. Facultatis Juridicæ Assessore meri-
tissimo & Canonic Naumburgensi gravissimo.

Dn. Patrono, atq; Præceptore suo nullo non observan-
tiæ atq; honoris cultu devenerando,

Ad diem XXXI, Octobr. A. R. G. M DC LXXII.

H. L. Q. C.

Publico Eruditorum Examini submittet

JOACHIMUS Pohlmann/ Magd. Saxo.

LIPSIÆ
Literis JOHANNIS GEORGII.